



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 47. Constantinus Pontius post mortem in jus vocatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæc. XVI.
A. C. 1559.

§. XLVII.

Constantinus Pontius post mortem in
jus vocatus.

Thuan. l. 23. **H**ic idem Constantinus, qui latino Con-
Sarpus hist. stantius Fontius, Gallico vero no-
Conc. Trid. mine Pontius mutata litera F. in P. no-
l. 35. p. 399 minabatur, vir magni meriti, Theolo-
Varillas hist. giæ Doctor, Hispalensis Canonicus, at-
des hæres l. que in Caroli V. Aula Concionator erat,
23. tom 5. p & comitabatur Philippum II. in Angliam
176. & 177. euntem, ubi abs dubio Protestantium
Pallav. l. 14. errores haurire cœperat, ob quos etiam
c. II. n. 3. ab Inquisitionis tribunali captus extre-
mo supplicio afficiebatur: sententiam ta-
men, quæ vulgo *fidei iudicium* appella-
tur, jam antea mortuus excipere haud
poterat, post mortem tamen ejus effi-
gies populo in spectaculum exhibebatur.
Referunt Scriptores Hispani, quod sibi
met ipsi mortem intulerit, venamque
confracti vitri frusto aperuerit, ut sup-
plicii sibi præparati ignominiam effuge-
ret. Hic carceri mandabatur, superstite
adhuc Carolo V. Imperatore, qui eum

*di, qui id mentis simplicitate meruisset, audiens-
que Constantinum Canonicum dictæ urbis pariter
comprehensum, ille, inquit, hæreticus ingens
erit, si hæreticum ipsum fuisse apparebit. Sic
etiam evenit, quemadmodum iudicium quidam
postea asseveravit, ipsum nempe ex hæreticis ma-
ximis unum fuisse.*

Sæc. XVI.
A.C. 1559.

in vincula fuisse conjectum intelligens, ille, inquiebat, *hæreticus ingens erit, si hæreticum ipsum fuisse apparebit*: his verbis autem significare voluit Cæsar, quod Pontius insignis plane hypocrita fuerit, si adeo scite pietatem simulare, & hæresin occultare valuit. Cum ergo Inquisitores illum utpote jamjam defunctum rogi supplicio e medio tollere haud potuerint, ejus quasi concionantis effigiem adduci, eamque cuidam cathedræ imponi jusserunt, ita, ut hæc effigies Constantinum exhiberet, quatenus dexteram paulo elevatam, lævam vero eidem suggestui innixam teneret. Hoc spectaculum primo plerisque adstantium lacrimas extorserat, quas vero mox risus excipiebat, ac denique straminea hæc effigies Concionatoris speciem exhibens indignationem excitabat.

§. XLVIII.

Joannes Ægidius Concionator pari supplicio multatus.

Eodem insuper modo plectebatur celebris quidam Hispalensis Præco nomine Joannes Ægidius, quem præpora mors vivum Inquisitionis severitati invadebat. Hic olim a Carolo V. ad Dertosanum Episcopatum nominabatur, non sine magna Inquisitorum indignatione,

*Thuan. l. c.
Hist. des
Martyr l. 3.
fol 505. edit.
1582.*

Y 2

qua-